

Quod evolvere ac probare satagemus postea in sequentibus :

Artic. 1° : *De Papa*;

Artic. 2° : *De Episcopis* :

Coroll. Capitis, circa Ecclesiae unitatem et apostolicitatem.

Iis autem omnibus jam nunc praemittendae sunt

OBSERVATIONES

Circa systemata nobis adversantia.

32 — Expositio : *Cæsarismus*, *Multitudinismus*, *Episcopalismus* ; itidem et in gradu inferiori, triplex *Gallicanismi* species. — *33 — Legitima praëjudicia contra Cæsarismum ; — *34 — contra Multitudinismum, — 35 — contra Episcopalismum, cujusque gradus.

32. — **Expositio.** — Varia illa systemata ad triplicem typum referri possunt, *Cæsarismum* scilicet, *Multitudinismum* et *Episcopalismum* ; et hæc tria considerari pos-

fusiùs cit. V. ap. Balmès, loco modò indic.) : « ... Colliguntur duæ differentiae inter potestatem politicam et ecclesiasticam : una, ex parte subjecti ; nam politica est in multitudine, ecclesiastica in uno homine (*Papâ* » scilicet), tanquam in subjecto immediatè : altera, ex parte efficientis ; » quòd politica universè considerata, est de jure divino ; in particulari considerata, est de jure gentium ; ecclesiastica omnibus modis est de jure » divino, et immediatè à Deo. » *Controv. t. II ; 2ª Controv. gener. l. III, de Laicis, c. vi* (Cfr. in cap. voluminis, *Recognit. n. xxvi.*) — Nec absimiliter Suarez : « Potestas civilis immediatè est in communitate humana ; ecclesiastica autem potestas residet principaliter in Christo homine : unde fit, ut, quoad subjectum proximum, illa prior sit in eo homine cui communitas illam commisit, vel in successoribus ejus ; hæc » verò sit in eo cui Christus illam commisit, vel successoribus ejus, » aut mediante ipso in aliis. » (*De Legibus, l. IV, c. viii, 6.*) — Quos ita resumere videtur Fénelon : « La puissance temporelle vient de la communauté des hommes, qu'on nomme nation ; la spirituelle vient de Dieu, » par la mission de son Fils et des Apôtres. » (*Plans de gouvernement, art. II, § iv ; — cfr. et Tr. du minist. des pasteurs, chap. II, versus med.*) — De hac theoriâ V. APPENDICEM III^{am},

sunt sive sub formâ rigidiori, quæ nunquam nisi inter A catholicos viguit ; — sive sub formâ mitigatori, quæ inter ipsos Catholicos aliquando sibi fecit asseclas, et opiniones illas peperit non ita pridem apud nos sub *Gallicanismi* nomine sæpe comprehensas. Qui quidem et ipse triplicis speciei distingui poterat, prout ad talem vel talem supradictarum hæreseum accedebat ; unde jam habebatur Gallicanismus *regalista* seu *parlamentarius*, Gallicanismus *multitudinista* seu *democraticus*, et Gallicanismus *episcopalista* seu *ecclesiasticus* (præter quasdam veluti intermedias species). Hodie autem omnes istæ opiniones, jam definitivè ab Ecclesiâ catholicâ damnatæ, extra Catholicismum et ipsæ reponuntur.

Posthabitis nempe illis qui, ut in Cap. præced. vidimus, nullam omninò auctoritatem ecclesiasticam à Christo constitutam agnoscunt, — hi quos nunc aggredimur, aliquam hujusmodi auctoritatem, saltem verbo tenus (1), omnes admittere videntur. Verùm, ex his,

Alii I° illam dicunt auctoritati civili ex ipsâ voluntate Dei esse annexam : et ii dicendi sunt simpliciter *Cæsaristæ* (sive cæteroquin civilem auctoritatem positam habeant penès Principes seu *Cæsares*, sive penès Multitudinem *civium* seu *populum*). — Ità plurimi apud Anglicanos (2).

(1) Dico... *saltem verbo tenus* ; nam non semper facile est discernere utrum ii qui auctoritatem ecclesiasticam in Principibus vel Multitudine reponunt, illam verè habeant tanquam auctoritatem quamdam specialem et supernaturalem proindeque ab institutione Christi eam derivent ; — an ipsam habeant tanquam auctoritatem merè naturalem è Principum potestate vel Christianorum consociatione manantem, et sic recidant reapse in errorem jam præced. capite confutatum. — Et verò Protestantes plerique illam auctoritatem ita ab omni penè supernaturali prærogativâ mutilaverunt, ut sanè jam quæri possit an ad talem auctoritatem conferendam necessaria fuerit Christi institutio, nec sufficisset solus hominum consensus.

(2) Dico tantùm... *plurimi* ; nam hodie præsertim non desunt in Ecclesiâ Anglicanâ qui aliter teneant, sicuti mox, ubi de *Episcopalismo*, dicitur ; nec etiam ab initio defuerunt. — « On ne définissait pas clairement l'éten-

Qui autem non adeò planè auctoritatem ecclesiasticam auctoritati civili adnectunt sed ex parte tantùm vel indirectè, quatenùs videlicet *externum* ejus exercitium beneplacito auctoritatis civilis ferè omninò subdunt, ii jam

» due du pouvoir qui revenait aux évêques, comme représentants des Apôtres,
 » et au roi comme délégué immédiat de Dieu, par son droit divin de gouverner... Les deux tendances existent encore : la majorité des laïques
 » accepté ou se soumet à l'enseignement de l'Eglise, parce que c'est l'Eglise
 » nationale; l'assentiment du public, sanctionné par les actes solennels de
 » la législation et favorisé par le concours de la royauté, a pris la place
 » du droit divin réclamé par les Tudors et les Stuarts. D'un autre côté,
 » une portion notable de laïques et plus encore d'ecclésiastiques s'appuient
 » sur ce fait que les évêques anglicans sont les successeurs des Apôtres.
 » Ces deux opinions ont eu dès l'abord leurs défenseurs : si l'autorité
 » royale dominait sous les Tudors, le principe épiscopal était revendiqué
 » sous les Stuarts. Cranmer représentait la première; Laud, Andrewes et
 » Overall, le second. Non-seulement Cranmer soutenait que toute mission
 » venait des princes, mais aussi qu'ils pouvaient conférer les ordres; et il
 » affirmait que les Apôtres eux-mêmes ne tenaient aucune autorité du
 » Christ, mais qu'ils avaient pris la direction de l'Eglise, comme une mesure
 » provisoire, en attendant qu'elle pût être dirigée par quelque prince
 » séculier.... » (R. J. Wilberforce, ex-archidiacre d'York : *Du principe de l'autorité dans l'Eglise* (1854), trad. par M. Audley, p. 295.) Et cfr citations valde explicitas à Cranmer, ap. Bossuet : *H. des Variat.*, l. VII, n. 42 et ss. — Hinc Parlamentum Angliæ, in statuto XVII, a. 37 Henrici VIII (1546), ita declarat : « Les archevêques, les évêques, les archidiacres
 » et autres personnes ecclésiastiques ne possèdent aucune juridiction ecclésiastique que par Votre Royale Majesté, sous Votre Royale Majesté
 » et de Votre Royale Majesté. » (Ap. Wilberforce, *ibid.*, p. 307). — Nec aliter ferè Elisabeth regina sese habuit cum suis episcopis, teste H. Froude, cit. ap. Migne : *Dém. Evang.*, t. XVII, p. 564.

Ad Cæsarium referendum est *Erastianismus* ita, in Angliâ præsertim inter civiles a. 1647 turbationes, dictus ab Erasto (germanicè Lieber), medico Basileensi, qui antea docuerat quàm apertissimè auctoritatem ecclesiasticam auctoritati civili esse à consilio Dei annexam, nec nisi per necessitatem accidentalem potuisse ab eâ interdum disjungi : « Politicum magistratus, inquit, bat, à Deo accepit totam externam gubernationem rerum tum sacrarum, tum civilium. » (*Explicatio gravissimæ quæstionis...*; 1589; V. *Thes.* 71, 73, 74; et *Confirmat. Thesium*, p. 151). — In quo posthumo op., Erastus adversus excommunicationes præsertim invehatur : sic (p. 59) «... Theo-

non dici possunt Cæsaristæ simpliciter. Apud nos verò dici solebant *Gallicani regalistæ* (1) eo quòd, sub prætextu zeli in patria instituta, regalia jura nimium extendebant, vel etiam *parlamentarii* eo quòd in *parlamentis* seu justitiæ regiæ curiis præcipuè inveniebantur. De iis autem ampliùs dicetur infra in Cap. III^o art. II^o (2).

Alii II^o auctoritatem ecclesiasticam agnoscunt ab auctoritate civili per se independentem; sed ipsam dicunt à Christo collatam esse toti Ecclesiæ, i. e., toti *multitudin* Fidelium non jam quatenùs civium sed quatenùs *Christianorum*, ita ut non nisi de populi Christiani consensu possit transmitti, imò et possideri et exerceri. — Ita præsertim Calvinistæ (3), qui illam auctoritatem à populo delegari vo-

» dosius ab Ambrosio coactus est per octo menses abstinere templo et concionibus. Peccaverat ille quidem, at multò levius Ambrosio...!!.

(1) In Germaniâ autem iidem dicti sunt *Josephistæ*, ex Imp. Josepho II, magno eorum patrono; et, cæteris quibusque Potestatis Pontificiæ detractoribus, sive multitudinistis sive episcopalistis, quasi in auxilium adscitis et sub patrocinio cæsareo susceptis, longiùs etiam ac in Galliâ grassati sunt. — Item exinde in Italiâ sub Leopoldo, Josephi fratre, etc. Ac tandem, in ipsâ Galliâ sub initio magnæ *Revolutionis*, ad apertum schisma per *Constitutionem Cleri civilem* devenerunt.

(2) Imò et aliquandò jus quoddam plùsqvam indirectum in res ecclesiasticas Potestati civili vindicare visi sunt. Sic, v. g., Baluzius (*Notæ in Lup. Ferrar. Epist.* 81; ap. Migne *Patr. lat.*, t. CXIX, p. 546) : « ... Nos » verò Galli reges nostros non summovemus prorsùs à rebus sacris, ab iis » nimirum quæ disciplinam respiciunt et executionem regularum ecclesiasticarum. » — Unde frequens istud apud eos effatum : « On a toujours » tenu en France que les rois n'étaient pas dans un état purement laïque, » mais comme dans un état mixte » (cit. ap. D. Gérin : *Rech. hist. sur l'Assemblée de 1682*, p. 347).

(3) Audiatur, v. g., minister Claude (cit. ap. Fénelon : *Tr. du ministre des pasteurs*, ch. II) : « Dieu a mis sa volonté en dépôt entre les » mains des hommes..... Il ne s'agit que de savoir qui est le dépositaire de cette volonté, ou les seuls pasteurs, ou tout le corps de l'Eglise. » Ceux de la communion romaine prétendent le premier, et nous prétendons le second. — Item et Jurieu, asseveranter, pro suo more (*Le vrai syst. de l'Egl.*, l. II, ch. II, p. 240) : « Il est indubitable que c'est au

lunt *senioribus* seu *presbyteris*, — adjectâ quâdam Ordinationis specie, — ideòque dicti sunt sæpe *Presbyteriani*. — Ita etiam, theoricè Lutherani; sed hi, quum illam auctoritatem à populo delegatam dixerint Principibus qui ipsam dehinc subdelegarent ministris specialibus sive *Presbyteris* sive etiam *Episcopis* alicubi dictis, in Cæsarium practicè inciderunt (1). — Et ii quidem omnes, sive Calvinistæ sive Lutherani, auctoritatem ecclesiasticam à Christo quidem repetunt, sed tamen nullatenus infallibilem volunt, nec ullâ certâ ac hierarchicâ formâ è jure divino determinatam. Unde nunquam nisi inter Protestantés inventi sunt.

Verùm inter Catholicos ipsos quosdam videre fuit quos *Gallicanos multitudinistas* seu *democraticos* diximus, qui nempe auctoritatem in Ecclesiâ agnoscebant tum infallibilem, tum certâ quâdam sub formâ, Episcopatus videlicet et Papatûs, ordinariè exercendam, sed ita tamen ut summa ejus plenitudo et infallibilitas nonnisi in consensu populi Christiani reperiretur. — Id quippe jam inducere erat è principiis societatum naturalium per quosdam xivⁱ et xvⁱ

» peuple chrétien que J. C. a donné la puissance des Clefs; et les Apôtres,
 » à qui J. C. parlait quand il disait à saint Pierre : Je te donne les Clefs
 » du royaume des Cieux, représentaient non-seulement les Pasteurs, mais
 » toute l'Eglise. Cette puissance de gouverner l'Eglise et de la conduire
 » s'est distribuée dans tous les troupeaux qui ont été formés par la prédication
 » de l'Evangile.... Quand les Apôtres, qui étaient les gouverneurs
 » de l'Eglise universelle, furent morts, les troupeaux différents et parsemés
 » dans toutes les parties du monde, n'ayant plus de maître commun pour
 » les conduire, jugèrent à propos de se confédérer, selon la commodité
 » qu'ils en eurent, selon la diversité des provinces, des lieux et des Etats
 » dans lesquels ils vivaient. Ils ordonnèrent qu'on enverrait de toutes les
 » Eglises un nombre de sages, au jugement desquels ils voulurent bien se
 » soumettre, et se rapporter à eux des différends qui étaient nés et qui pou-
 » vaient naître; ce qu'on appela Synodes et Conciles. »

(1) V. *Dictionn. encyclop. de la théol. cathol.* (Wetzer et Welte, trad. par Goschler); art. : *Collégial* (Droit et système); *Episcopal* (Syst.).

sæculi Doctores temerè Ecclesiæ applicatis (1); et ita reverà, sub initio præsertim sæc. xviiⁱ, induxerunt plus minùsve audacter M. Ant. de Dominis, è Dalmatiâ (2),

(1) Ita, si non etiam longiùs procederent et ad merum jam accederent Protestantismum (nam cfr eorum artic. in *Dictionn.* modò cit.), Doctores qui, in xiv^o sæc., pro Ludovico Bavariensi contra Joannem XXII scripserunt, Ockam, Marsilius de Paduâ, etc. Hic speciatim « homo aristotelicus magis quàm christianus » (ut ait Alb. Pighius) docet *ex professo* auctoritatem ecclesiasticam devolvi à Multitudine ad Papam, mediante Imperatore; et sic Lutheranis præcludere videtur, in suo lib. : *Defensor pacis...*, cujus V. analysim ab Alb. Pighio : *Hierarch. eccles.* l. V; ap. Rocaberti : *Biblioth. max. Pontificia*, T. II; — cfr et Bullam Joan. XXII in Marsilium, ap. Raynald. contin. Baronii, a. 1327, xxvii.

Rursus, in sæc. xv^o, incipit apparere Multitudinismus inter sententias Doctorum ad Magnum Schisma extinguendum. Ità illæ Propositiones ab Universitate Parisiensi oblatæ Concilio Constant. et « duriores aliquantò visæ » : « Papa... recipit summam potestatem ab Ecclesiâ ministerialiter. — Ecclesiâ sia universalis non habet claves regni cælorum à Papâ, sed è contrâ » « Papa ab Ecclesiâ » (Ap. Von der Hardt : *Magnum Constant. Conc.*, T. II p. 277; cfr T. IV, P. I, p. 69). — Et jam, tempore Conc. Pisani, Gerson ipse itâ absolutè ratiocinatur : « ... Sicut tradit Aristot. (V *Polit.*) » quòd *Ad communitatem totam spectat Principis vel correctio vel totalis destitutio si inemendabilis perseveret*; et hæc potestas inaufe-ribilis vel inabdicabilis est à Communitate liberâ...; quantò magis hoc » habebit Ecclesiâ!.. » (*De Auferibilitate Papæ*, consid. XII; T. II opp. p. 216). — Quod planè ducere videtur ad suprematiam in Multitudine reponendam. Hanc tamen consequentiam ipse postea restringet ad *Prælatos tam majores quàm minores* (prout mox exponetur, p. 89), sed ita « ut » nullus fidelis qui audiri voluerit, debeat excludi ab audientiâ. » (*De Pot. eccl.*, consid. XII, *ibid.* p. 249 : — itemque J. Almain, p. 1067.) — Filialtrius quoque Card. à S. Marco, et d'Ailly Card. Cameracensis plus minùsve longè in quemdam, ut ita dicam, semi-multitudinismus grassabantur (V. Jager : *Hist. de l'Egl. cath. en France*, t. XIII, p. 64, 65; et cfr Mansi *Concil.*, t. XXVII, p. 560, 561; Von der Hardt, t. II, p. 224, 226). — Item, in d'Ailly V. infra, ubi de Conciliis; et cfr inter opp. Gersonii, t. II, p. 958.

(2) Ille nempe, Spalatrensis in Dalmatiâ Episcopus, in Angliam profugus, pœnitens et relapsus, in suo libro *Republicâ ecclesiasticâ* (1617), docendum suscipit « totam Ecclesiam esse columnam et firmamentum veritatis, et » hanc Ecclesiam totam non esse in solis episcopis et presbyteris... Deus enim

simulque, in Galliâ, Edm. Richer (proût saltem communiter intellectus est) (1), atque nonnulli exinde, veluti subterraneâ quâdam transmissione, usque ad Jansenianos et Febronianos xviiiⁱ sæculi (2). Ita demùm hisce no-

» Spiritum suum toti Ecclesiæ promisit, non alligando ipsum certis personis sive certo generi personarum... et consensus totius Ecclesiæ in aliquo articulo non minùs intelligitur in laicis quàm etiam in presbyteris et prælatis. » (L. I, c. xii, n. 40, 42). Imò et « monarchiæ formam » in Ecclesiâ è jure tantùm ecclesiastico repetit (c. iii, n. 33). Præcipuos illius errores à facultate Parisiensi damnatos, V. ap. d'Argentré : *Collectio judiciorum*, T. II, P. II, p. 404; vel ap. A. Duval : *De supremâ R. Pont. in Eccl. potestate*, ed. Puyol, p. 28.

(1) Iste nempe famosus facultatis Parisiensis syndicus, in suo *Libello de eccl. et polit. Potestate* (1611), cap. 1, principia profert quæ Multitudinismum inducere nata videntur (Cfr Zaccaria, ap. Migne, *Theol.*, t. XXVII, p. 493 et s., ubi illa ex Alph. Tostato, Abulensi in Hispaniâ episcopo, deprompta esse ostendit et Febronio viam parâsse). — Ipse tamen Richerius dein protestatur se non in plebem Christianam referre Potestatem ecclesiasticam, sed tantummodò « in totum Ordinem hierarchicum cum episcopali et sacerdotali ordine constantem. » (*Libelli* cap. II, et cæteris locis, in quos V. D. Puyol : *Edm. Richer : Etude hist. et crit. sur la rénov. du gallic. au comm. du xviii^e s.*, T. I, p. 231 et ss., cum *Appendice* in fine volum.).

(2) Ita, — post Simon. Vigor, qui Richerium apertè defenderat (V. Puyol, op. cit., T. II, p. 228); — Launoï : *Epist. ad Vallantium*, (Opp. t. V, p. 1); Ellies Dupin : *De antiquâ Eccl. disciplinâ*, Diss. VI, § 1; etc. (V. Puyol, ib. p. 439); — hi autem minùs apparenter : eò quòd nempè Potestas regia, in xviii^o sæc., galliconismo quidem episcopalistæ faveret, minimè autem multitudinistæ. Unde iste latere coactus est, usquedùm in sæc. xviii rursùs emicaret cum Jansenistis. Ipsum quippè primò insinuat Quesnel : « Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet ut eam exerceat per primos Pastores de consensu, saltem præsumpto, totius Corporis » (Prop. 90 inter damnatas); clariùs autem profert P. Laborde, ad declinandum Papæ et Episcopatus judicium : « Il est impossible que les évêques puissent avoir d'autre droit que le droit de représentation... Simples témoins de la foi de leurs Eglises, ils n'ont d'autorité qu'autant qu'ils parlent en leur nom... Qu'on ne s' imagine donc point que l'autorité des évêques dans les jugemens ecclésiastiques soit indépendante de l'aveu des fidèles. La constitution de l'Eglise requiert essentiellement cet aveu pour que leurs jugemens aient force de loi et soient à jamais irrévocables. » (*Du Té-*

vissimis temporibus, non obstantibus pluriès repetitis condemnationibus, multitudinismum quidam asserere visi sunt (1); imò et è laicis quidam hodiè non rarò asserunt, per illegitimum quemdam *transitum è genere ad genus*, scilicet è regimine civili ad regimen ecclesiasticum (2).

Alii demùm III^o auctoritatem ecclesiasticam agnoscunt à Christo collatam esse non toti Ecclesiæ sed certo perso-

moignage de la Vérité dans l'Egl., 1714; p. 92, 93). — In 2^{dâ} verò sæculi parte, Multitudinismum etiam in Germaniâ protulit famosissimus Febronius (De Hontheim; V. Blanc, *Cours d'hist. eccl.*, leç. cxcvi, 6, et Gosehler : *Dictionn...* T. XI, v^o Hontheim), non sine ambagibus tamen et contradictionibus ad instar Richerii, (in quas V. P. Zaccaria : *Antifebronius vindicatus*, ap. Migne, *Theol.*, t. XXVII, p. 494). — Inde et consequenter ad Febronii principia, in Italiâ, *Synodus Pistoïensis* (a. 1786; V. Blanc leç. cxcviii, 6) docuit « potestatem à Deo datam Ecclesiæ ut communicaretur pastoribus qui sunt Ejus ministri pro salute animarum. » — « Quæ propositio, inquit Pius VI in Bullâ *Auctorem fidei*... contrâ hanc Synodum directâ, sic intellecta ut à communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas, est hæretica. »

(1) Ita, v. g., atque ipso S. S. Concilii Vaticani tempore, nimium lugendus Döllinger : « Le Concile est la représentation, la composition de l'Eglise entière; les Evêques sont au Concile les ambassadeurs et les chargés d'affaires de toutes les Eglises du monde catholique; ils ont au nom de l'universalité à déclarer ce que cette universalité des croyants pense et croit; il faut donc les considérer comme des fondés de pouvoirs qui n'ont pas le droit de dépasser leur procuration. Sinon, l'Eglise dont ils sont les représentants ne confirmerait ni le dogme ni la définition du dogme qu'ils auraient créé... » (*Consultation...*, publiée dans le *Moniteur univ.*, 16 mars 1870; et le *Français*, 18 id. — Cfr Laborde supra cit.). Neque forsân hæc eadem idea prorsùs aliena erat ab his quæ tunc temporis à quibusdam dictitabantur, « Episcopi, scilicet, uniuscujusque suffragium non nisi pro numero ovium suarum valere » (quod certè falsissimum est, saltem si absolutè sumatur; cfr dicenda infra ubi de Conciliis).

(2) Ita, v. g., DD. Bordas Demoulin et Huet : *Essai sur la réforme cathol.* (1856); et recentius J.-B. Picot : *De la Souveraineté dans l'Eglise* (1874). — Et sanè multùm abest quin omninò antiquatus sit iste adeò perniciosus error, cujus ideirò antecedentia hic sedulò persequi ac notare curavimus.

narum ordini, scilicet *Episcopis* (uti generatim admittunt) quatenus Apostolorum successoribus. — Verum, juxta illos qui propriè *Episcopalistæ* vocantur et semper repulsi sunt à Catholicis, nullus est inter Episcopos qui plus auctoritatis habeat quam cæteri, saltem ex institutione Christi. — Ita imprimis omnes generatim Græci vel Orientales quos *Schismaticos* vocamus. Item et inter Anglicanos non pauci. — Hi nempe, sicut et illi, Petro et ejus successoribus, Episcopo videlicet romano, aut nullum omninò primatum aut saltem non alium quam merum primatum *honoris*, è jure divino, competere affirmant, ideòque ab eo separati vivunt; — et tamen auctoritatem supremam, imò et, juxta plurimos, infallibilem profitentur semper affore in toto Corpore episcopali, cujus partes sese etiamnum ferunt integrantes (quam autem inconsequenter, postea in 2^a præsertim Tractatûs parte, videbimus) — (1).

Ab illis certè excessibus semper abhorruere nostrates olim Gallicani: quippe qui, cum omnibus Catholicis,

(1) Observandum est, ex unâ parte, non omnes Episcopalistas *theoricè* accensendos esse qui pastores apud se ostendunt *Episcoporum* nomine condecoratos; non enim desunt, ut supra dictum est, tum ex Anglicanis tum è Lutheranis, qui auctoritatem ad eos quos nuncupant episcopos, per Principes vel Multitudinem venire tantum admittunt, ideòque Cæsariæ vel Multitudinistæ habendi sunt potius quam Episcopalistæ.

Ex alterâ autem parte, plurimi etiam ex Episcopalistas propriè dictis, Cæsarium saltem, etsi *theoricè* respuant, *practicè* tamen, imò et satis patienter ferunt. Sic inter Anglicanos non pauci. Sic præsertim et inter Græcos, Russiaci, qui regi quidem censentur per *Sanctam*, ut aiunt, *Synodum*, sed cujus membra eo prius adstricta sunt juramento: « *Confiteor* » porro et *jurejurando assevero supremum hujusce collegii judicem esse ipsum totius Russiæ Monarcham, dominum nostrum clementissimum.* » Règlement ecclésiastique de Pierre le Grand, publié par le P. Tondini, p. 10. — Et cfr totum ejusdem auctoris opus: *Le Pape de Rome et les papes de l'égl. orthod. d'Orient* (1876, Plon). — Ipsi cæteroquin nostri olim Gallicani ecclesiastici jugum Gallicanismi regii, plusquam voluissent, passi sunt, uti postea ipsos conquerentes audiemus.

semper agnovere Petrum et ejus successorem, Episcopum romanum, habere è jure divino primatum non solum honoris sed et *jurisdictionis*. « Ipse namque, aiebant, ab ipso Christo auctoritatem in Ecclesiâ accepit cum cæteris episcopis sed plusquam cæteri et supra cæteros, ideòque factum est eis veluti *Centrum* cui adhæreant, et *Caput* cui pareant » (1). — « Verum, subdebant, ille auctoritatis hujus tum *doctrinalis* tum *disciplinæ* majorem quidem præ singulis partem, non autem plenitudinem accepit, ideòque nec *infallibilitate* per se pollet in Ecclesiâ docendâ, nec *plenâ potestate* in eâ regendâ, sed, utroque sub respectu, inferior est Corpore *Episcoporum*, (vel potius, — juxta veteres (2), — omnium *Prælatorum* tam *majorum* seu *Episcoporum* quam *minorum* seu *Curatorum*); — et consequenter, à Concilio semper judicari ac deponi potest. »

Hæc est famosa doctrina quæ *Gallicanismus Ecclesiasticus* nuncupari solebat, quia nempe apud clerum gallicanum præcipuè obtinuit, à tempore Concilii Constantiensis primùm, Gersonio patrono, usque ad finem sæc. xviⁱ, ex quo in 1^a atque optimâ xviiⁱ sæc. parte imminuta est; rursus autem, in 2^a ejusdem sæc. parte, urgente Ludovici XIV imperio, revixit et, Bossuetio duce simul ac moderatore, a. 1682, redacta fuit in notissimos *Quatuor Ar-*

(1) Ita nempe, vel in famosis a. 1681 et 1682 cleri gallicani conventibus, declarabat ipse Rhemensis archiepiscopus, toto suffragante cœtu: « Le Pape » est au-dessus de tous les évêques; il est le chef de l'Eglise, le centre de » l'unité, et il a sur nous une primauté d'autorité et de juridiction, que » Jésus-Christ lui a donnée dans la personne de saint Pierre. Si on ne » convenait pas de ces vérités, on serait schismatique, je puis même dire » hérétique. » (*Procès-verbaux des assemblées générales du Clergé de France*, T. V, p. 355).

(2) Sic Gerson: *De Potestate eccles.*; *Consid. XII^a* (opp. ed. Dupin, T. II, p. 249); — Almain: *De auctoritate Ecclesiæ et Conc. gen.*, c. vi; itemque: *Expos. circa decis. Ockam*, c. xviii (ibid. p. 987 et 1067); — J. Major: *De Auctor. Conc. supra Pontif.* (ibid. p. 1133). — V. infra, n. 51.

ticulos (1). Nunc autem à S. S. Concilio Vaticano, Deo favente, damnata et exstincta est, — iis tantum perpaucis ex adverso remanentibus qui sese dicere affectant *Veteres Catholicos*; sed jam, velint, nolint, non secus ac caeteri Episcopalistæ, Protestantibus simpliciter annumerandi sunt.

33. — Omnia illa sive Cæsarisismi, sive Multitudinismi, sive Episcopalisismi systemata, aut alia, si quæ sint, cujuscumque nominis et gradus, unà perimentur, ubi è Scripturâ et Traditione ostenderimus Papam accepisse à Christo plenitudinem auctoritatis tum doctrinalis tum legislativæ in Ecclesiâ, seu, aliis verbis, Ecclesiam esse è jure divino *monarchiam simpliciter* (2). Quod in proximo *de Papâ* Artic. efficietur. — Verumtamen non inutile erit, ad disponendos animos et removendos obices, præmittere hic et nunc considerationes quæ, sive *à priori*, sive *à posteriori*, legitimè præjudicant I° contra Cæsarisismum, II° contra Multitudinismum, III° contra Episcopalisismum, — itidemque contra Gallicanisismi speciem cuique affinem. — Sint igitur

(1) Hujus adeò jactatæ *Declarationis* expositionem unà cum brevi totius *Gallicanisismi ecclesiastici* historiâ remittimus in *APPENDICEM IVam*.

In Germaniâ etiam, sub *Josephismi* influxu et patrocínio, facta est, a. 1786, apud Ems, per quatuor Archiepiscopos Declaratio quædam seu *Punctatio* 23 punctis comprehensa et juribus Papæ, circâ disciplinam præsertim, quàm maximè detractiva. V. ap. Goschler *Dictionn.*, T. VII, v° *Ems*; — vel apud Picot: *Mém. pour l'hist. eccl. du XVIII^e s.*, a. 1786 (éd. 1833).

(2) Miror sanè quomodò quis adhuc dubitare posset quin hoc punctum jam æquivalenter definitum sit, quum S.S. Concilium Vaticanum definirit tum infallibilitatem Papæ in docendo, tum plenam ejusdem potestatem in regendo. Qui enim plenitudinem auctoritatis tum doctrinalis tum legislativæ in Ecclesiâ habet, ille profectò monarcha Ecclesiæ est. Unde jam liquet Ecclesiam nec esse rempublicam sive democraticam sive aristocraticam, uti voluissent Multitudinistæ vel Episcopalistæ propriè dicti; — nec monarchiam *secundum quid*, ad mentem nempe Gallicanorum; — sed esse verè ac *simpliciter* monarchiam. — Quonam tamen sensu dici possit *aristocraticæ et democraticæ admixtæ* seu potiùs unita (Bellarm.: *De R. Pont.*, L. I, c. III), infra explicabitur, Cap. IV°, art. 1, in Coroll.

I° **Legitima præjudicia contra Cæsarisismum** : scilicet,

I —, *à priori* : Auctoritas ecclesiastica auctoritati civili certè non annexa est è naturâ rerum, neque, de facto, annecti potuisset generatim absque magnis inconvenientibus. — 1° Non auctoritati civili annexa est è naturâ rerum; siquidem diversæ omninò naturæ et originis est, ut suprâ observavimus (n. 30). 2° Neque eidem annecti generatim potuisset *absque magnis inconvenientibus* : inde siquidem maximè periclitarentur illa bona quæ verus quisque Christianus Ecclesiæ Christi propria manere peroptat : *unitas* videlicet, *immutabilitas*, *dignitas*, *libertas*. Inde nempe — 1 — Ecclesiæ *unitas* ferè impossibilis evadet, quandoquidem ecclesiastica auctoritas penès plures erit principes, quibus semper cordi est ut singuli maneant ab invicem independentes : — 2 — ejusdem etiam *immutabilitas* iis exponetur vicissitudinibus quæ, movente temporalis dominationis amore vel invidiâ, tam sæpe, in unâquâque regione, principatûs formam, personas et successionem perturbant ac mutant : — 3 — etiam *dignitas* auctoritatis spiritualis valde periclitabitur, quæ nempe ab ipsis principibus facilè auctoritati suæ temporali postponetur, utpote minùs oculos percellens, atque inde negligetur, aut etiam alteri subordinata habebitur et fiet *instrumentum regni* : — 4 — tandem, ipsa christianæ conscientiæ et fidei *libertas*, si quando à vero unus aut alter principum defecerit (neque enim sane quis putaverit singulos principes fore infallibilitate donandos), quàm ægrè extunc in illius principis ditione conservabitur, jam nullo ab intùs duce, nullo deforis superiore defensa atque tutata! et quàm ineluctabili tyrannide conscientia populorum circumvenietur et opprimetur (1)! Neque parùm juvat hic memo-

(1) Hinc, apud Russiacos schismaticos, ubi nempe Cæsarisismus Episcopalisismum de facto supplantavit, sicuti mox dicetur, — « il y a quelques années, » un évêque catholique, faisant la visite de son diocèse en Russie, ren-

rare quot passa sit Religio vicissitudines et oppressiones tum in Germaniâ ubi Principes protestantes sese pro Episcoporum hæredibus ferentes, axioma protulerunt : « *Cujus regio, illius et religio* », et *jus reformandi religionem* sibi vindicarunt (1); tum in Angliâ, ab Henrico VIII ad Elisabeth; tum recentius in Russiâ, etc.

Et certè, si quandò una auctoritas alteri aliquatenus annectenda esset, esset potiùs temporalis spirituali quàm temporali spiritualis, ut infrâ evolvetur (Cap. III, art. II).

II —, à *posteriori* : Auctoritatem ecclesiasticam auctoritati civili annecti omninò à *Scripturæ* sensu alienum est, et *Traditionis* exemplis ac testimoniis contrarium. Etenim

1° in *Scripturâ* certè non ad Principes, sive personalter, sive repræsentanter, dictum est : *Tibi dabo claves.....; Quæcumque alligaveritis.....; Quorum remiseritis peccata.....; Euntes docete.....*; etc. — Et sanè non ad illos hæc dici poterant, quum Principes tunc temporis existentes essent infideles : non autem videtur cur postea conversi auctoritatem subitò in Ecclesiâ acquisivissent, quam non antea habuerant.

» contra un évêque schismatique ; une entrevue eut lieu, et, dans l'aban-
 » don de la conversation, le prélat russe dit à l'évêque catholique : « Nous
 » sommes bien à plaindre tous deux, en présence des exigences exhorbi-
 » tantes du pouvoir civil ; mais nous autres, nous le sommes encore plus
 » que vous catholiques. Quand les exigences du gouvernement sont arri-
 » vées à une certaine limite, vous pouvez dire : Il nous est impossible de
 » céder sur ce point ; nous dépendons du Pape ; c'est à lui qu'il faut vous
 » adresser. Et ainsi vous trouvez dans le Pape un appui et un défenseur.
 » Mais nous que pouvons-nous répondre, et où irons-nous chercher un ap-
 » pui ? Il faut toujours céder. » — Ex R. P. Gagarin, ap. D. J. Gondon :
De la Réunion de l'Eglise d'Angleterre protestante à l'Eglise cathol.,
 p. 102. — Et cfr P. Tondini, in op. cit. *Le Pape de Rome et les papes
 de l'égl. orth....*, passim.

(1) V. Alzog : *Hist. de l'Eglise*, t. III, §§ 336, 377, itemque circa pacem Westphal., § 357. — Cfr Wetzer et Welte : *Dictionnaire encyclop. de la Théol. cathol.*, art. : (Système) *Episcopal*, — *Territorial*, etc.

2° In *Traditione* autem, — etsi, ob mutuam Sacerdotii et Imperii concordiam, multa sæpe quasi permixtim ab uno pro altero facta videantur, hæc tamen observare est, ab omni antiquitate, apud Christianos generatim (si paucos forsitan excipias hæresis vel prævaricationis stigmatibus per scripta Patrum notatos) : — nempe — 1 — Ecclesia quidem sæpe Pastores suos accepit è nominatione principum, sicuti nunc fit in multis regionibus ; sed nunquam homines per solam principum voluntatem intrusi, *absque Pastorum* quorum res intererat, *consensu* habiti sunt ut veri Pastores ; itemque nunquam Pastores legitimè habiti ita jam haberi desierunt eo quòd è sedibus detrusi essent per solam voluntatem principum. Similiter et — 2 — principes quidem satis frequenter visi sunt judicia aut leges circa res ecclesiasticas ferre ; imò et Pastores ea aliquando admiserunt (1) ; sed nullum unquam principum iudicium vel edictum circa res ecclesiasticas valere *contra Pastorum voluntatem* admissum est.

Atqui tamen, si admissum fuisset auctoritatem ecclesiasticam esse à Christo principibus collatam, nec nisi de eorum consensu per Pastores exercendam, certè principum voluntas, ubi apertè declarata est, sicuti non semel accidit, contra voluntatem Pastorum in his prævaleret debuisse, et aliquando, de facto, prævaluisse.

Ergo *Traditionis* certè *exemplis* contradicit Cæsarismus : item verò et *testimoniis* Patrum ipsorumque Principum christianorum.

(1) Quod nempe contingere potuit sive ejusdem necessitatis causâ ; sive interduo eo quòd illa Potestatis sæcularis in res ecclesiasticas immixtio facta erat ex aliquâ permissione vel postulatione ipsius Potestatis ecclesiasticæ majus inde sibi præsidium fore sperantis ; sive aliquando etiam, uti notare est, v. g., quoad Caroli Magni *Capitularia*, eo quòd hæc lata erant in comitiis generalibus quibus episcopi simul cum primoribus regni interfuerant. — Et tamen cfr Em. Card. Manning : *Le Césarisme....*, p. 39 (Palmé, 1874, vel ap. l'*Univers*, 6 janv.)